

Lemencia Insula sæpius vocatur. Quæ quidem appellatio cum Britannico nomine *Limen*, quo hic locus ipsis Britannis innotescit, ejus oscitantiam notat, qui proximè superiorem insulam *Limnon* Ptolemæi facit, quam Britanni nunc *Enbly*, Angli *Berdsey* nominant, id est, *Insula avium*. Hanc autem esse quæ Ptolemæo EDRI, & Plinio ANDROS & ADROS alibi legitur, audacius ex vi verbi conjectare possim. *Ader* enim avem Britannis significat, & eodem sensu Anglis *Berdsey* postea appellata est. *Enbly* enim recentius est nomen, & à viro quodam sancto enatum, qui hic hereticam vitam egit. Insulam enim hanc (quæ ad Orientem eminenti est promontorio ad Occasum plana, & fertili gleba) tot sancti viri olim coluerunt, ut præter Dubricium, & Merlinum Caledonium, 20000 sanctos hic conditos antiquæ referant historiae. Proxima huic MONA, Britannis etiam *Mon*, *Tir-Mon*, & *Ynis Dowyll*, id est, *Insula opaca*, Saxonibus *Monege* de qua jam ante egi.

Edri.

Berdsey.

Mona. Anglesey. Vide pag. 365.

Mona sive *Anglesey* tres insulæ minores adjacent, *Moyl Rhoniad*, id est, *Insula Phocarum* ad Circium, quam ab Episcopis Bangorensibus, ad quos spectavit, ab injustis occupatoribus retentam Henricus Deneus Episcopus Bangorensis, ut in Cantuariensi historia legimus, classe & militibus, Henrici VII tempore recuperavit. Ad Ortum est *Ynis Ligod* .i. *Insula Murium*, inferius *Prestholme* .i. *Insula sacerdotum*, nihilque in ea vidimus nisi sacram turrinam facelli S. Cyriaci quæ longè se spectantibus exhibet: fidem superat quod vicini de infinita multitudine marinarum avium quæ hic pariunt, referunt; quodque etiam perhibent de aggere qui per mare hinc duxit ad radicem vasti illius montis *Pen-Maen-Maur*, in usum eorum qui religionis ergo hunc locum olim prisca religione sacrum inviserunt. *Lambey* exiguam insulam huic oppositam ad Hiberniæ littus omitto, licet Metallici alumen ibi nuper magnis impendiis quæsi-

Lambey.

M A N N I A.

The Ile of Man.



Mona sive Menavia. Lib. 2. c. 9. Manau Guorodin in quodam Ninnii exemplari dicitur.

Agis ad Arctum *Mona* illa jacet, cuius meminit Cæsar, in medio, ut inquit ille, inter Britanniam & Hiberniam cursu. MONOEDA Ptolemæo, quasi *Mon-eitha* .i. (si conjectare fas sit) *Mona remotior*, ad alterius *Monæ* differentiam. MONABIA Plinio, MENAVIA Orofio, & Bedæ *Menavia secunda*, ubi *Monam* sive *Anglesey Menaviam* priorem vocat, & utramque *Britannorum insulas*; apud quos tamen *Mevania* perperam legitur, *Eubonia* & *Manaw* Ninio, qui & *Gildæ* nomine circumfertur, *Menaw* Britannis, incolis *Maning*, nobis Anglis *The Ile of Man*. Medio *libramine* (ut inquit Giraldu Cambr.) inter *Boreales Hiberniæ & Britanniciæ partes porrecta*, de qua utri terrarum applicari de jure debuerat, ab antiquis non mediocriter ambigebatur. Demum in hunc modum *lis ista* quævit. Quoniam advectos periculi causa venenosos hæc terra vermes admittit, eam Britannis applicandam censura communis dictavit. Incolæ tamen, & lingua & moribus ad Hibernicos proximè accedunt, ita autem ut *Norwagicum* quiddam admisceatur.

A Septentrione in meridem xxx plus minus Italica mill. projecta, Latitudinem verò qua maxime patet, vix ultra xv mill. qua minime VIII extendit. Bedæ ætate trecentas familias, ut *Mona* nongentas, & sexaginta habuit: nunc autem VII Curias, sive parochiales Ecclesias numerat. Linum & Cannabim abunde profert, pascua & arva habet satis læta. Hordei, tritici, sed præcipue avenæ ferax est, unde avenaceo pane maxime vescitur, pecorum ubique multitudo, & numerosi ovium greges, sed cum oves, tum pecora minora, uti etiam in vicina Hibernia sunt, quàm in Anglia, nec eadem frontis dignitas. Cum autem sylvis sit indiga, bituminoso cespite ad ignem utuntur, quem dum effodiunt, sæpe numero in suffossas arbores incidunt. In medio montibus densius attollitur, è quibus editissimus *Seafell*, unde sudo cælo Scotia, Anglia, & Hi-

bernia prospici possit. Inter oppida præcipuum censetur *Rusin*, ad Australe latus situm, quod à castro ubi præsidium habetur vulgo *Castletowne* appellatur, ubi in insula sedes Episcopalis à Gregorio Quarto Pontifice Romano fuit instituta, cuius Episcopus *Sodorensis* dictus ab hac ipsa insula (ut creditur) jurisdictionem in omnes Hibernidas insulas olim habuit, nunc tantum in ipsam insulam exercet, & Archiepiscopo Eboracensi subest. Locum tamen & suffragium in Ordinum Angliæ conventu Parlamentario non habet. Oppidum autem frequentissimum est *Duglas*, quod portus sit optimus, aditusque facilimus, ad quem Galli, & alii exteri cum sale suo marino comment, coria, lanam rudem, & carnem bubulam salitam ab insulanis emercantes. In Occiduo autem insulæ latere sunt *Bala-Curi*, ubi Episcopus plerumque agit, & *The Pyle* munimentum exigua in insula positum, ubi etiam non pauci sunt milites præsidarii. Ipsi vero Australi promontorio modica etiam insula (*The Calfe of Man* vocant) prærenditur, marinis avibus, quas *Puffins*, & anatibus illis è ligno putrefacto, ut ferunt, enatis, quas Angli *Bernacles*, Scoti *Clakes*, & *Soland-Geese* vocant, abundantissima.

Episcopus Sodorensis.

Duglas.

Bernacles.

Quod reliquum est, subjungam ex epistola quam doctissimus, & in Christo reverendus Iohannes *Meryk* hujus insulæ Episcopus ad me scripsit. Pecore, piscibus, frumento etiam, sed magis industria hominum, quam terræ bonitate hæc insula & sibi sufficit, & quotannis plurimum transmittit. Administratione tamen feliciter erat illustrissimi Comitum Derbiensis sumptibus, in quos maximam annui proventus partem impendit, præsentem paratoque milite à vicinis hostibus defensa. Controversias omnes Iudices, quos è suis eligunt, & *Deemsters* vocant, sine scriptis & impensis dirimunt. Lapidem enim tollit magistratus, signatumque querenti tradit, illo adversarium & testes citat. Si quid ambiguum, & majoris momenti, ad duodecim quos *Claves* insule appellant,

Deemsters.